

prehendat Deum. Antecedens manifestum est, quia si cognitio est creata, omnis ejus perfectio creata est; ergo debet infinite distare ab omni perfectione increata, et esse inferior illa: ergo etiam distare a cognoscibilitate increata, quæ consequitur ad ejus immaterialitatem. Consequentia vero probatur, quia hoc ipso, quod cognitio distat in perfectione, et actualitate a cognoscibilitate objecti, non adæquantur inter se; sed una excedit aliam, non cognitio cognoscibilitatem, quia cognitio creata est; ergo cognoscibilitas cognitionem; ergo in eo in quo excedit, non includitur, neque exhauritur ab illa, neque adæquatur illi, et consequenter ille excessus latet cognoscentem.

XIII. Dices: Excedit cognoscibilitas increata cognitionem creatam entitative, sed non cognoscitive, et intelligibiliter, eo modo quo de specie creata divinæ essentiæ solent aliqui philosophare.

XIV. Sed contra est, quia si intelligibiliter adæquat cognoscibilitatem Dei; ergo in genere intelligibili non exceditur ab illa; aut si exceditur in genere intelligibili, non solum entitative, sed etiam intelligibiliter excedit, et consequenter in eo in quo excedit non comprehenditur, sed latet cognoscentem; si ergo non excedit, in genere intelligibili, neque in fundamento generis intelligibilis, quod est immaterialitas: ergo adæquabit cognitio creata immaterialitatem Dei, hæc autem est actus purus: ergo cognitio creata in genere intelligibili erit actus purus, quod est esse Deum, quia implicat aliquid esse actum purum in aliquo genere, et esse conjunctum entitati habenti potentialitatem; sic enim non esset actus omnino segregatus, et purus.

XV. Et confirmatur, quia si aliqua cognitio creata comprehenderet

Deum, aut cognitio increata perfectius illum comprehenderet, aut non; si non; ergo erunt æquales cognitio creata, et increata, quod est omnino repugnans: si perfectius comprehendit; ergo cognitio increata non solum adæquat, sed etiam superat cognoscibilitatem divinam, nam creatura, quæ comprehendit, adæquat illam, alioquin non comprehenderet; ergo si increata superat, et perfectius comprehendit, non solum adæquat, sed etiam superat: implicat autem, quod cognitio divina sit major, quam cognoscibilitas divina, cum utraque fundetur in eadem immaterialitate: ergo.

PROPONUNTUR ARGUMENTA.

XVI. Objicies primo contra prædictam resolutionem: Nihil eorum, quæ sunt formaliter in Deo latet animam Christi; ergo comprehendit id quod formaliter est Deus. Antecedens est manifestum, quia si aliquid esset formaliter in Deo, sive perfectio, sive modus, sive quodcumque prædicatum lateret animam Christi, non videret simpliciter Deum, quia id quod lateret, Deus esset, utpote formaliter in Deo; ergo nihil eorum, quæ in Deo formaliter sunt, latet videntem.

XVII. Nec potest dici, quod non cognoscit omnia possibile, quæ sunt eminenter in Deo, et sic illum non comprehendit. Nam contra est, quia ea, quæ sunt eminenter in Deo, vel sunt ipsa divina essentia, vel extra illam: si ipsa divina essentia; ergo videntur ab anima Christi vidente totum, quod est essentia: si sunt extra divinam essentiam, non pertinent ad comprehensionem Dei, vel saltem non pertinent ad comprehensionem ejus, quod est formaliter in Deo, ipsa autem virtus in qua continentur res creatæ est formali-

ter in Deo, et ita cognoscitur ab anima Christi.

XVIII. Secundo, nulla est cognoscibilitas in Deo, quæ possit excludi a continentia intra intellectum creatum; ergo neque collectio omnium cognoscibilitatum; ergo neque comprehensio. Antecedens probatur, quia Deus est visibilis ab intellectu creato infinitis modis, quia nullus est assignabilis, quo Deus se non possit manifestare, et quo non possit crescere lumen gloriæ; ergo omnes illi continentur in potentia intellectus, si enim potest Deus illos dare, intellectus potest recipere. Prima consequentia probatur, quia si omnis illa cognoscibilitas divisive continetur in intellectu creato; ergo continetur tota collectio; sicut enim ad hoc, ut potentia divina possit divisive infinitas cognoscibilitates dare, simul continentur in virtute activa Dei, et collective, ita ad hoc ut possit intellectus illas recipere simul et collective continet omnes illas in potentia passiva.

XIX. Secunda vero consequentia patet, quia illi modi infiniti sunt omnes modi quibus Deus cognosci potest, ita quod amplius cognoscibilis non est; ergo est totalis cognitio Dei, quæ est comprehensio.

XX. Et confirmatur, quia ex eo quod Deus potest divisive facere infinita, est probabile, quod etiam potest collective facere infinitum in actu; ergo similiter erit probabile, quod si potest infinitos modos cognoscibilitatis divisive ponere in intellectu creato, etiam erit probabile, quod posset illos collective ponere in actu, sicut et producere lumen infinitum; ergo ita probabile est, quod Deus possit comprehendere, sicut est probabile, quod possit facere infinitum in actu.

XXI. Tertio arguitur ad probandum, quod non consistat comprehensio in adæquatione modi cog-

tionis cum modo cognoscibilitatis, sed in aliqua intensione, vel perfectione tenente se ex parte cognoscentis. Nam quantumcumque aliquod objectum quoad omnem modum, et rationem in se inventam attingatur, ex eo solum non comprehenditur, quia non attingitur ea claritate, et intensione, quæ sibi adæquata est, aut superexcedens; ergo in ista perfectione, et intensione claritatis, consistit ratio comprehensionis. Antecedens probatur exemplis. Primo, in Angelo inferiori respectu superioris, quem non comprehendit, non quia attingat in eo omnem rationem, et omne prædicatum, et modum, quem habet, sed solum quia non attingit ea claritate, et intensione, qua ipse Angelus se attingit, aut a superiori attingitur.

XXII. Secundo, in essentia divina. Si videretur seclusa omni creatura, non comprehenditur ipsa deitas secundum formale id quod habet, sed solum ex eo quod ea claritate non attingitur, qua attingitur a Deo, nam omnis modus, et prædicatum illius attingitur. Et similiter si videretur unum attributum sine alio, verbi gratia, idea equi, et non hominis; scientia visionis, et non simplicis intelligentiæ; attributum misericordiæ, et non justitiæ; etiamsi quis cognosceret omnes effectus misericordiæ, et omnia objecta scientiæ visionis, adhuc non comprehenderet non solum divinam essentiam, sed neque etiam ipsum attributum misericordiæ, aut scientiæ visionis, quod solum potest esse, ex eo, quod non tanta claritate, et intensione attingit illa attributa, sicut ipse Deus.

XXIII. Confirmatur, quia etiam in opinione eorum, quod creaturæ non videntur ex vi visionis Verbi, Deus in se est incomprehensibilis, secluso omni respectu eminentiali ad creaturas, et non ex eo, quod aliqua res

vel modus existens in Deo lateat videntem: ergo solum ex eo, quod non ea claritate, et intensione cognoscitur, quia cognoscitur a Deo.

XXIV. Quarto sequitur, quod nulla res sit comprehensibilis unica cognitione, nam comprehensio est cognitio alicujus objecti omni modo, quo cognoscibile est, sed posita cognitione rei etiam perfectissima, adhuc alio modo cognoscibilis est, vel a superiori cognitione, vel ab inferiori; ergo nulla cognitio exhaurit omnem modum, quo res aliqua cognoscibilis est.

XXV. Confirmatur, quia secundum S. Thomam ad comprehensionem non sufficit, quod aliquid totaliter cognoscatur totalitate se tenente ex parte rei cognitæ, sed quod modus totalis objecti teneat se ex parte cognoscentis, ut patet i part. quæst. XII, art. VII ad tertium, et VIII de veritate, art. II ad secundum: ergo non sufficit ad comprehensionem attingere omnem modum cognoscibilitatis rei, sed sub omni modo quo cognoscens cognoscere potest.

XXVI. Ultimo potest argui omnibus argumentis, quibus articulo sequenti probabitur, quod non sequitur ex cognitione omnium possibilium comprehensio divinæ essentiae, aut posse dari comprehensionem alicujus actus, vel virtutis, sine hoc, quod comprehendantur termini ad quos ordinantur, ut comprehensio visionis beatæ sine comprehensione sui objecti; ergo non repugnat dari comprehensionem divinæ essentiae, sine comprehensione omnium, quæ potest facere.

SOLVUNTUR OBJECTA.

XXVII. Ad primum argumentum respondetur, quod omnia, quæ sunt formaliter in Deo videntur a beatis, et non latent se secundum se, sed

latent secundum virtualitatem suam plus vel minus, prout plus vel minus penetratur ipsa divina essentia. Et adhuc ista virtualitas, ut est aliquid formaliter in Deo non latet; ut autem se explicat in ea, quæ virtualiter continet, latet. Et explicatio virtualitatis hujus nihil aliud est, quam manifestatio illius comparatæ ad ea, quæ continet, non ut in se absolute est quædam res. Sicut Angelus habet speciem cogitationis cordis alterius, et tamen prout se explicat et procedit a corde non attingitur ab Angelo: et videns voluntatem divinam, videt entitatem actus liberi, non tamen explicationem ejus liberam in suum objectum, quare res divina videtur ut constituens, et pertinens ad intrinsecum esse Dei, non autem videtur ut se explicat, et comparative se habet ad ea a quibus participabilis est.

XXVIII. Ad instantiam argumenti respondetur, quod ea, quæ eminenter sunt in divina essentia, objective sunt extra, et virtualiter sunt intra divinam essentiam, hoc est, sunt virtus divina, et tota divina essentia videtur secundum quod absoluta entitas est; non tota videtur, ut est virtus explicata, et comparata ad sua objecta, et sic latet respective, videtur absolute. Et ipsæ res quæ sunt extra Deum non pertinent ad comprehensionem Dei, distingo; si considerentur absolute, et secundum se, transeat; si considerentur ut terminus in quem se explicat virtus, et sine quo non se explicat virtus divina, nego.

XXIX. Ad secundum, omissis solutionibus, et sententiis oppositis inter magistrum Ledesma, et Cabrera, respondetur negando simpliciter antecedens; aliqua enim est cognoscibilitas Dei, quæ non continetur in intellectu creato, scilicet cognoscibilitas adæquata Dei secundum totum quod fundatur in natura Dei,

quæ non est collectio plurium cognoscibilitatum finitarum; sic enim per plures finitas cognitiones, etiam si in infinitum multiplicentur, Deus est incomprehensibilis, sed est unica simpliciter excedens totum genus finitarum cognoscibilitatum Dei, nam etsi intra genus finitæ cognitionis de Deo contineantur infiniti modi cognoscendi, tamen omnes cum sint intra genus creatæ cognitionis distant in infinitum a genere cognitionis increatæ, et consequenter a cognoscibilitate increata, atque adeo illam non adæquant, neque comprehendunt.

XXX. Et ad probationem antecedentis dicitur, quod Deus infinitis modis est cognoscibilis intra genus creatæ, et limitatæ cognitionis, quæ nunquam possunt pervenire ad modum cognitionis increatæ, atque adeo illa infinitas, et collectio omnium cognitionum creaturarum de Deo, non adæquat omnem modum cognoscibilitatis divinæ, quia semper restat alius modus in genere increato solum attingibilis ab immaterialitate increatæ cognitionis, quæ est actus purus; et consequenter solum adæquat cognoscibilitatem actus puri. Et sic intelligo nostrum intellectum respicere ens in tota sua latitudine, scilicet sub modo finito, et ut attingibile est create; an vero omnes illi infiniti modi videndi Deum create possint collective poni in actu in aliquo intellectu, pendet ista quæstio ex alia, an possit dari infinitum in actu, verbi gratia, infinitum lumen gloriæ, et qualitas alia infinita, quod in sententia S. Thomæ i part. quæst. VII, omnino negandum est.

XXXI. Sed tamen hoc dato, adhuc dicimus, quod tale lumen infinitum infinitate creata Deum non comprehenderet, ob rationem dictam, licet ab aliquibus soleat pro inconvenienti deduci, quod si daretur lu-

men infinitum, sequeretur utraque contradictoria, et quod Deus comprehenderetur, et quod Deus non comprehenderetur.

XXXII. Ad confirmationem respondetur, quod ex eo, quod sit probabile Deum posse facere infinitum in actu, solum sequitur quod sit probabile posse facere infinitum lumen, et infinitos modos cognoscendi Deum, non tamen sequitur posse efficere, quod Deus comprehendatur, quia adhuc illi infiniti modi, et infinitum lumen habent infinitatem in genere creato, et sic non adæquant infinitam cognoscibilitatem Dei, quæ non adæquatur a qualibet infinitate, sed ab infinitate actus puri.

XXXIII. Quomodo autem cum hoc stare possit consequentia, quam facit S. Thomas art. II hujus quæstionis, quod si cognoscerentur omnia possibilium, sequeretur comprehensio Dei, sequenti articulo disquiretur. Nunc solum dicimus, quod S. Thomas facit illam consequentiam de cognitione omnium possibilium; non quomodocumque, sed in Verbo, cujus penetratione, si omnia possibilium cognoscerentur, comprehenderetur Deus, quia non potest sic penetrari Verbum nisi per cognitionem actus puri: totum enim genus cognitionis creatæ de Deo non potest attingere omnia possibilium; an vero etiam ex cognitione possibilium extra Verbum sequatur comprehensio Dei, S. Thomas ibi non disputat; sed si hoc sequitur, ideo est, quia cognitio omnium possibilium intelligi non potest, quod ponatur in re, nisi in Verbo videantur, et per cognitionem, quæ sit actus purus.

XXXIV. Ad tertium respondetur, quod adæquatio in qua consistit comprehensio, etiam requirit claritatem, et intensionem cognitionis, quantum necessaria est ad penetrandam omnem cognoscibilitatem

objecti, et eam adæquandam: si vero semel adæquatur cognoscibilitas objecti, quæcumque major intensio, vel claritas non requiritur ad rationem comprehensionis. Unde Angelus inferior non ex defectu intensio- nis præcise, et claritatis cognoscendi non comprehendit Angelum superiorem, sed quia perfectio in modo cognoscendi non adæquat omnem modum cognoscibilitatis Angeli superioris, sive id proveniat ratione minus intensæ cognitionis, sive aliunde, et licet videat omnem modum, et prædicatum Angeli superioris, quatenus absolute illi convenit, illumque constituit, non tamen omnem ejus virtualitatem penetrat secundum quod explicabilis, et comparabilis est ad omnia, quæ potest Angelus superior.

XXXV. Et similiter dicimus de essentia divina, quod seclusa cognitione creaturarum ipsa deitas est incomprehensibilis in eo, quod formaliter constituit ipsam, quia licet videatur totum quod formaliter est in Deo secundum quod constituit ipsum, tamen hoc ipsum formale non explicatur secundum omnem virtualitatem suam, et secundum quod imitabilis, et participabilis est ipsa deitas, et ita manet quasi involuta, et latens ipsa formalis deitas, ut fundat virtualitatem explicabilem per comparisonem ad alia, licet sit apparens, et manifesta secundum quod est constitutiva deitatis. Et qui cognoscit omnia objecta scientiæ visionis, non ideo comprehendit illam, quia non penetrat omnia, quæ conveniunt illi scientiæ ex parte virtutis, et perfectionis scientiæ, in qua est idem cum scientia simplicis intelligentiæ, sed ex parte visionis, quæ est denominatio attingendi objecta libera tantum.

XXXVI. Similiter etiam dato per impossibile, quod aliquis cognosceret omnes effectus unius attributi,

verbi gratia, misericordiæ, adhuc non comprehenderet illud, quia ad comprehensionem non sufficit attingere aliquid secundum cognoscibilitatem præcisam nostri conceptus, sed secundum cognoscibilitatem, quam habet in re, secundum quam identificatur cum aliis attributis, præterquam quod nullum attributum est in Deo, quod concurrat solum ad aliquos effectus, et non ad alios; sed omnes effectus, qui continentur sub uno attributo, continentur etiam sub alio, licet sub diversis rationibus: quidquid enim facit omnipotentia sub ratione executivæ virtutis, facit misericordia sub ratione sublevandi a miseria, et a nihilo, seu tollendi defectus, et justitia sub ratione distribuendi unicuique quod proprium ipsi est; et sic de reliquis attributis.

XXXVII. Ad confirmationem respondetur, quod in illa opinione, quod non videntur creaturæ in essentia divina ex vi visionis, adhuc explicatur incomprehensibilitas Dei, per ordinem ad cognitionem creaturarum, non formaliter ex vi visionis, sed causaliter, et mediante alia cognitione, quam fert, et causat visio divinæ essentiæ, ut tradit Vazquez 1 tom. 1 part. disp. LX, cap. IV, num. XVI. Quare omnes intelligunt comprehensionem Dei requirere aliquam explicationem virtualitatis essentiæ divinæ in ordine ad creaturas, sive id fiat ex vi visionis formaliter, sive causaliter, licet minus bene illam explicant, qui solum causaliter dicunt videri creaturas in Verbo.

XXXVIII. Ad quartum negatur sequela, quia quando dicitur ad comprehensionem requiri, quod cognoscatur res omni modo, quo cognoscibilis est, intelligitur omni modo cognoscibilitatis orto, et fundato in ipsa propria natura, et ratione objecti: si autem sit modus cognoscendi ortus ex majori excel-

lencia cognoscentis, vel imperfectione non valentis totaliter attingere objectum, talis modus ad comprehensionis adæquationem non pertinet.

XXXIX. Ad confirmationem respondetur S. Thomam in locis solum requirere adæquationem cognitionis cum cognoscibilitate objecti, ita quod tam immaterialis, et perfectus sit modus cognoscendi, quod possit evolvere, et explicare omnem modum cognoscibilitatis objecti, quæ in ejus propria natura fundatur, et hoc est modum cognoscibilitatis tenere se etiam ex parte cognoscentis.

XL. Ad ultimum respondebitur articulo sequenti.

ARTICULUS II.

Utrum repugnet videri in Verbo, vel extra Verbum omnes creaturas possibles?

I. Ipse titulus supponit unum, et inquit aliud; supponit dupliciter posse cognosci creaturas, scilicet in Verbo, et extra Verbum. Et extra Verbum nullus negat creaturas cognosci, cum hoc ipsum experiamur: in Verbo autem cognosci formaliter, et eadem visione, qua Deus videtur negavit pater Vazquez 1 tomo, 1 part. disp. L, cap. VI, et solum admisit illas videri causaliter, id est, mediante revelatione causata extra Verbum ex visione divina; eo vel maxime, quia essentia divina est omnino absoluta in se, nec potest esse medium ductivum ad creaturas, cum sit ab illis prorsus independens, et absoluta, nec continet illas in se formaliter, cum creaturæ in Deo sint ipse Deus; unde viso Deo non videntur creaturæ, ut sunt distinctæ a Deo.

II. Et dato, quod viderentur ex vi visionis, non esset major ratio, ut viderentur aliquæ potius quam aliæ, sed vel omnes viderentur, vel nullæ: nam essentia ipsa divina æqualiter continet omnes, et sic æqualiter repræsentat omnes; lumen autem gloriæ est in omnibus ejusdem speciei, solumque variatur penes majorem, vel minorem intensionem; major autem, vel minor intensio non facit apparere diversa objecta, sed idem perfectius, et melius intelligi; ergo ex diversitate luminis non provenit quod videantur diversa objecta in Deo.

III. Nihilominus quæstio ista hic supponenda est, non tractanda, quia proprius ejus locus est in prima parte, quæst. XII, art. VIII, sed breviter dico, quod divina essentia ut cognita potest esse ratio cognoscendi creaturas, nam Deus ipse sic cognoscit illas, eo quod attingit creaturas ut objectum secundarium, quia immediate non possunt creaturæ specificare, aut movere cognitionem divinam: debet ergo supponere objectum primum prius cognitum, et non solum ut rationem cognoscendi, quia objectum primum alicujus cognitionis, non verificatur solum de ratione sub qua cognoscendi, sed de re cognita, eo quod in constituendo objecto primario concurrunt ratio quæ, et ratio sub qua, unum tamquam formalis ratio, aliud tamquam materialis: ergo non potest sola ratio formalis sub qua dici objectum primum, et ratio quæ secundarium: unde cum creaturæ se habeant ut objectum secundarium, et essentia divina ut primum, oportet, quod ipsa divina essentia non solum ut ratio formalis sub qua, sed ut res cognita, sit ratio cognoscendi creaturas.

IV. Præterea, quia divinus intellectus format ideas creaturarum,